

## Werk

**Titel:** Thesaurus Iuris Executivi Rutgeri Rulant, Icti. Quadripartitus

**Untertitel:** Quarum Pars Prima exhibet usum verum executivum, mediante Brachio Eccles lastico, Seculari, Regio, Et Militari, Eorumque imploratione. Secunda, exactam praecipuarum Rerum Civilium tractationem ... Tertia, perfectam manuductionem Executioni Rerum Criminalium inservientem. Quarta, Decem Classes Relationum, Actorum ac Votorum Cameralium praedictis materiis accommodatarum ... Atque Ita His Quatuor Partibus, Non Solum Executionis Materia fructuosissima continentur, sed & diversae per totum ius privatum dispersae materiae videlicet ...

**Verlag:** Author; Weissius

**Ort:** Francofurti ad Moenum; Francofurti ad Moenum

**Jahr:** 1624

**Kollektion:** VD17-Mainstream

**Digitalisiert:** Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen

**Werk Id:** PPN755514025

**PURL:** <http://resolver.sub.uni-goettingen.de/purl?PPN755514025>

**OPAC:** <http://opac.sub.uni-goettingen.de/DB=1/PPN?PPN=755514025>

**LOG Id:** LOG\_0004

**LOG Titel:** Ad Lectorem.

**LOG Typ:** preface

## Terms and Conditions

The Goettingen State and University Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Goettingen State- and University Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept the Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Goettingen State- and University Library.

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

## Contact

Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen  
Georg-August-Universität Göttingen  
Platz der Göttinger Sieben 1  
37073 Göttingen  
Germany  
Email: [gdz@sub.uni-goettingen.de](mailto:gdz@sub.uni-goettingen.de)

## AD LECTOREM.

**V**M Omnis Iudiciorum vis & efficacia in executionibus rerum iudicatarum consistat, adeo ut sine hac causa cognitio ac diuidatio non solum frustranea, sed & iudicia ipsa ut pote effectu carentia reddantur, ac habeantur elusoria: vnde sententias, hac deficiete, Campanas sine pistillo vocitare solent; Iccirco Judices nihil merito prius, nullamque curam potiorem habere debebant, quam ut ea, quæ post exactam causæ cognitionem actrutionem decreta decisaque sunt, protinus executioni mandentur. Id autem cum in plerisque, grauioribus praesertim causis, non semper fieri, sed executiones multoties protrahi ac retardari testetur experientia, fit ut multi, praesertim ii, quorum res agitur, non solum ea de re conquerantur, sed & Judicium tarditatem culpare soleant. Quibus cum idem quod ægrotis & morbo aliquo affectis vsu veniat, qui morbum quidem eiusquis dolores sentiunt, causam autem eius nesciunt; Non abs refuerit, causam eius mali breuiter aperire: Eam ego duplicum esse, & ut cetera omnia, quæ Iudici occurruunt, vel in facto vel in jure consistere judico. In facto ipsam exequendi facultatem pono; illam n. non inferioribus solum, sed supremis etiam iudicibus saepe deesse cernimus, ita, ut sententias suas, licet maxime velint, rei difficultate præpediti executioni demandare nequeant: In iure autem ipsum exequendi ius ac modum constituo, quæ propter rerum exequendarum qualitatem maximis multoties impedimentis impllicantur: siue enim in rebus ecclesiasticis, siue civilibus, siue criminalibus executio occupetur, variae se offerunt difficultates: circa ecclesiasticas quidem, quod inter horum antislates, & seculares multæ controuersiae & de personis & rebus executioni obnoxius, cuius sint fori, quoad hunc punctum, exoriantur: In criminalibus, quod famam plerumque, vel maximam fortunarum partem, imo vitam etiam ipsam multoties concernant, eoque cautius ac maiori cum deliberatione procedendum. Quoad ciuilia, licet de bonis hic tantum agatur, quia tamen ob varias rei circumstantias multa dubia enascuntur, eaque ob diuersarū iuris materiarum concursum Judicem in iis vel non satis instructum, vel rerum earum præiudicia ac fundamenta in promptu haud habentem perplexum reddant, executiones saepenumero magno cum partium litigantium tædio ac detimento protrahuntur, cuius rei infinita exempla, ni odiosa forent, referri possent. Remedia quidem hisce malis multi ex iuris nostris interpretibus afferre conati sunt, dum ad predictas difficultates in facto consistentes remouendas, de remedis subsidialibus, Invocatione videl. brachii Ecclesiastici, Secularis, Regii & Militaris, literis mutui compassus, rogatorialibus, indultis, aliisque similibus multa passim accumularunt: Verum cum confuse id ac sparsim, nulloque seruato conuenienti ordine ab iis, prætermissa videlicet disquisitione de origine, etymologia, divisionibus, contrariis, ceterisque ad plenam & perfectam cuiusque retractationem requisitis, factum sit: vñus autem brachii in Germania valde frequens, etiam apud Protestates imperii Status (uti ordinationes Electoris Brandeb. Tit. I. part. I. §. 27. indicant) vigeat, opera & precium me facturum arbitratus sum, si promissionis annis superioribus à me factæ memor, ea quæ sparsim, nulloque seruato ordine, ab interpretibus de hoc executionis remedio ad tollendam facti difficultatem prodata sunt, in vnum corpus colligerem, & resecatis superfluis heterogeniisque; retentis autem necessariis, & superadditis quæ ab aliis prætermissa sunt, breui methodo ac peculiari tractatu comprehendenderem, adiunctis aliorum laboribus, videlicet integro Tractatu de vitroque Brachio Martini de Fano; quem omnes in hac materia antesignanum & testem aduocant, eo fine, ut in promptu haberetur, ac quomodo contenta ab aliis allegata cum mente authoris conueniant, inspici possit; nec non LODOVICI Rho-dolphini de Sabloneta neruosus hac prosequentis; Multis insuper ex aliorum scriptis hinc inde,

## AD LECTOREM.

inde insertis & adiectis, in eum præcipue finem, ut illi, qui contenta mei tractatus, quasi nimis ecclesiasticis rigida, in odium deducere hucusque conatis sunt, alios etiam meam in sententiam fere per omnia condescendere, eosque etiam, quos illi ipsi oraculi instar habent, mecum consentire deprehenderent; Superadditis quoque, tanquam vicinis, nouis traditionibus eorum, quirecte hoc brachium militare, ut & ex parte Regum accommodarunt. Atque ita huic via facti satis succursum puto: Juris autem via, et si, quoad Ecclesiastica prore nata sat subuentum, diligentiores facile deprehendent; latior tamen & aditu difficultior rerum ciuilium & criminalium campus, variaeque difficultates, & dubia in ea, pro diuersitate materiae, ciuilis scilicet aut criminalis, occurrunt, quæ executiones plerumque retardare vel protrahere solent, ad quæ tollenda, licet multi non contemnendam operam praestiterint; præ ceteris tamen omnibus, mea quidem opinione, palmam ferunt, ASINIVS in ciuibus, & CARTHARIUS in criminalibus. Ille enim, ut practicæ erat peritissimus & doctissimus, teste Marzaria, in epitome fideicommiss: num. 61. cum longa experientia edoctus cerneret, alios nil nisi modum execuendi (vt & ipse antea fecerat in praxi Florentina aliquot capitibus) prescribere, nucleus autem ipsum, hoc est, materias in executionem venientes vix ac nec vix quidem attingere, manum opere admouit, omnesque que in executionem venire possunt materias singulari cura integro opere ita complexus est, ut quævis per se sola sic excussa, tractatus nomen merito mereatur, in eoque totus fuit, ut Iudex exequi volens cunctas materias, sparsim diffusas, uno complexu & volumine in promptu haberet. Etenim non solum practicabiles, de iure videlicet debitorum & creditorum, eorumque prælatione, statutis, gabellis, præscriptionibus, iuramentis, & instrumentis, maxime guarentigiat, paratam executionem habentibus, plenius & luculentius quam cæteri pertractauit, sed etiam plures in foro quotidianas, ab aliis vel omissas, vel superficialiter tantum expositas; videlicet, de datione & adiudicatione in solutum, officio Iudicis, oblatione, & depositione, carcere & carceratis, subhastationibus & lici-tationibus, ex iure communi, mediaque praxi, tam plene & copiose deduxit, ut Iudicibus in ciuibus exequi volentibus nihil plane deesse, eosque nulla amplius difficultas remorari posset. Et quod Asinius in ciuibus, id Chartarium in criminalibus præstisse dicent mecum omnes, qui tractatum eius, de execut. sentent. contumacialis capto Bannito, penitus excusserint. Licet autem triplici hac, ecclesiastica, criminalis & ciuilis executionis tractatione, omnibus, siue ex facto, siue iure prouenientibus impedimentis occursum, Iudiciq; satis prospectum subuentumque fore existimem; ne tamen in praxi quicquam dubii superesset, & ut præiudicatis res redderetur illustrior, exempla aliquot Cameralia in decem classes distributa, è relationibus & votis Assessorum autographis petita, ad ecclesiasticam, ciuilem & criminalem materiam conferentia adieci, certo mihi persuadens, si siue cuique classi similia à doctioribus, tractatu temporis, siue publicè, siue priuatim, adjiciantur, in thesauro hoc nihil desideratum iri amplius. Qua mea opera, ac labore, si propositum mihi finem, (vt spero) aliqua saltem ex parte assecutus fuero, & prædictis difficultatibus remedium aliquod attulero, erit quod gaudeam; si minus, in magna hac re vel voluisse, & peritioribus ad meliora perfectioraque proferenda incitamentum præbuuisse sat erit. Tu, Lector benebole, hisce fruere ac Vale.

TRACT.